



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 112. Sacræ Parisiensis Facultatis declarationes circa fidelium obligationem confitendi Parochis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. malive in ea sit, & antequam id vi-
A. C. 1656. deat, aut animum reflectat, actio ne-
 que bona est, neque mala.

Censura. *Est contra communia Chri-
 stianæ Theologiæ principia, & innumera
 etiam immaniissima hominum peccata excusa
 cum pernicie animarum.*

XXVI. **Authoritas unius Doctoris**
 probi & docti reddit opinionem proba-
 bilem.

Censura. *Perniciosa est, & immen-
 ras absurditates invehens in omni materiæ
 doctrinæ moralis.*

§. CXII.

*Sacræ Parisiensis Facultatis declara-
 tiones circa fidelium obligationem
 confitendi Parochis.*

*Alegamb.
 Bibl. Script.
 S. J. Col-
 lect. nov.
 monum. Gali.
 Cler. tom. 1.
 pag. 672.
 Argentre
 l. c. p. 74.
 Ex Bibl.
 Sorb.*

Prodiere hoc anno apud Cramoisi
 duo libri, quorum primus auctori
 P. Joanne Bagoto Jesuita, hunc præbe-
 ferebat titulum: *Defensio juris Episco-
 palis, & libertatis, qua gaudent fideles
 circa Missas & confessiones de præcepto
 Alter tacito Authoris nomine sic in-
 scribebatur: De fidelium obligatione con-
 fitendi Parochis: Uterque in generali
 Cleri Gallicani Conventu Parisiensi
 reprobatus: postea sacræ Facultatis
 Doctores, quibus utrumque hunc li-
 brum examinandi negotium fuerat ob-
 tum.*

tum, suum desuper iudicium patefe- Sæc. XVII.
 cere, edita in lucem sequenti decla- A. C. 1656.
 ratione: *Cum ante aliquot annos gravissi-
 mæ & multorum retro sæculorum contro-
 versæ renovatæ fuissent inter quosdam Re-
 gulares & Rectores Ecclesiarum Pari-
 siensium super obligatione fidelium ad
 deponenda semel in annis peccata a-
 pud Parochos, & super audiendam Mis-
 sam in suis Parochiis, ac de iisdem con-
 troversis varii libelli scripti fuissent, tan-
 dem die prima Martii hujus anni decur-
 rentis supra laudatorum Rectorum nomine
 delatus est sacre Facultati Theologicæ Pa-
 risiensi liber Gallico sermone conscriptus,
 cui titulus est, Defensio juris Epi-
 scopalis. Autore Bagot Jesuita, alter eã-
 dem die dictorum Regularium nomine, cui
 titulus est, obligatio fidelium con-
 fitendi Parochis quibus examinandis,
 cum dicta sacra Facultas selegisset non-
 nullos ex Magistris tum sæcularibus
 tum Regularibus, qui per multas congrega-
 tiones rem discusserunt, auditis ipsorum
 relationibus contentiones illas omnes æterno
 silentio comprimendas voluisset, prout jam
 in comitiis anni 1622. die 2. Januarii de-
 cretum fuerat. Quia tamen novissimis hisce
 concertationibus fidelium conscientiæ a de-
 bitis erga Ecclesias suas Parochiales officiis
 non sine magno salutis ipsorum periculo & di-
 spendio distrahuntur, in dies studioque par-
 tium*

Sæc. XVII. *tium veritas labefactari, laudabilisque in*
 A. C. 1656. *partibus nostris dudum observari solita dis-*
ciplina convelli dignoscitur, dicta sacra
Facultas, ut tantis malis meliora, quan-
tum poterit, & salutaria tamen remedia
adhibeat, duo sibi præstanda esse judicavit,
alterum, ut a ferendo judicio circa varias
propositiones, quæ in utroque libello continen-
tur, non abstineat, ut quæ nimirum eodem
proposito authoribus dictorum librorum
sine in medium adductæ sunt, nequæ
alio collineant, quam ut ad Confessionem
annuam, & Missas Parochiales audiendam
fideles teneri, aut non teneri asseverent,
alterum ut suum circa difficultates supra-
dictas iudicium omnibus Christi fidelibus
patefaciat.

Declarat itaque primo, eosdem fideles
 posse quocumque tempore etiam Paschali
 aut annuæ Confessionis apud summum Pon-
 tificem, aut Episcopos, eorumque Vicarios
 generales, & Pœnitentiarios, necnon apud
 Presbyteros quoscumque, sive sæculares
 Regulares, specialiter in certis casibus
 circumstantiis ab iisdem summo Pontifice
 Episcopis delegatos confiteri peccata,
 ab iis absolvi.

2. Regulares a summo Pontifice privilegia habentes, & ab Episcopis approbati
 aliis diebus præter Paschales, aut annuæ
 Confessionis dies non impediri, quin servato
 more in Ecclesia recepto, possint fideliter

confessiones audire, eosque licite & valide Sæc. XVII.
absolvere. A. C. 1656.

3. Cæteris paribus utilius esse & conducibilius non tantum ordini totius Ecclesie, sed quorumlibet saluti eodem Confessionis annuæ tempore apud Parochum confiteri, quam apud quemlibet specialiter, ut supra dictum est, delegatum, & Missas Parochiales frequentare, quam alias.

4. Eadem sacra Facultas Conc. Provinc. & Cleri Gallicani sanctiones venerata, majorum etiam suorum vestigiis insistens, eorumque secuta sensum, standum esse dæcernit in antiqua sua doctrina, & præxi Ecclesiarum nostrarum, & unumquemque fidelium in his præsertim partibus ad Confessionem annuam coram proprio Parocho faciendam teneri, aut altero de ejus licentia; neque ulla hucusque nova argumenta proferri potuisse, quibus existimaret, sibi esse a veteribus prædecessorum suorum decretis recedendum.

5. Denique eadem sacra Facultas sacri Concilii Tridentini, & Conciliorum nostrorum Provincialium a Gregorio XIII. & Sixto V. approbatorum, & totius Cleri Gallicani Constitutionibus innixa, antiquis etiam dictarum Ecclesiarum moribus, censet, unumquemque fidelem Missæ Parochiali interesse debere saltem diebus Dominicis, & festis majoribus, aut certe uno ex tribus diebus Dominicis continuis, atque ideo monendos

Sæc. XVII. *nendos esse fideles, & serio excitandos, ut
A. C. 1656. supra dicta, quantum in ipsis erit, obser-
vare studeant.*

Ceterum Doctores Religiosi hanc
Facultatis declarationem nequidem
prælegi in comitiis generalibus sustine-
bant, quinimo Pater Bagotus librum
suum antea Gallice scriptum latinitate
donavit, ac Romæ approbatum ibidem
typis Cameræ Apostolicæ tertio post
anno excudi curavit.

§. CXIII.

*Francisci Guillou Baccalauri Thesæ
Facultatis Theologicæ jussu
correctæ.*

*Argentoræ
h. G.*

Ejusdem anni die decima Januarii
Dionysius de la Barde Theologie
Magister & San - Briociensis Episcopus
exposuit Facultati Theologicæ, quod
Franciscus Guillou Baccalaureus pro
obtinendo Doctoratus honore Thesin
ediderit, quæ auctoritati Episcopi
plurimum derogaret, quapropter pe-
tiit, ut quidam nominarentur Doctores,
qui hanc thesin examinarent, interim
vero illius Auctorem a Doctoratus gradu
arcerent. Huic petitioni annuens Fa-
cultas sex deputabat Magistros ceteris
sapientia eminentiores, qui ea de re
proxime referrent. Die igitur decima
quinta